

mine. Sac. congreg. Episcop., in una Montis Falisci 4 Septembris 1684, et in una Civitatis Plebis 4 Martii 1649.

(36. Penitentiarius non potest esse vicarius generalis, ne suspicionem ingerat, quod in administratione justitiæ utatur scientia confessionis, nisi tantæ sit apud omnes bonæ famæ et opinionis, ut excludatur hujusmodi suspicio. Sacra cong. Episcop., in Ariminen. 28 Jan. 1611.

(37. Ut quis possit constitui vicarius generalis, debet esse ætatis saltem xxv annorum. Azorius, *Instit. moral.*, part. II, lib. III, cap. 43, quæst. 10; Alzed., *De præcellent. episc. dignit.*, part. II, quæst. 2, n. 3; Nicol., in *Flosculis, loc. cit.*, n. 29; Barbosa, cit. alleg. 54, sub n. 3; Homobon., *De humanæ vitæ statibus* cap. 7, vers. *Ætas*; ubi etiam addit nec posse episcopum dispensare super minori ætate sui vicarii generalis.

(38. Item debet esse doctor vel licentiatum in jure canonico. Sac. congreg. Episc., in *Potignanen.* 28. Aug. 1582, in *Triventina* 6 Octob. 1645, et sæpissime alibi; unde si ad sacram cong. Episc. habeatur recursus contra episcopum non retinentem vicarium jurisperitum, solet ipsa demandare, ut retineat vicarium generalem doctorem, ut testatur Monacell., part. II, tit. 16, formul. 2, n. 3. Et hoc præcipue locum habet, quando episcopus ipse theologus est et non jurista. Sac. cong. Episcop., in *Arben.* 23 April. 1691. Ne semper indigeat assessore. Sac. cong. Episcop. in *Cajacen.* 11 Maii 1594, et in una Montis Falisci 12 Aug. 1650. Nec sufficit esse theologum: sac. congr. Episc., in *Surrentina* 15 Nov. 1605. Et interim donec provideatur, datur doctor pro consultore, *ibidem.*

(39. Aliquando tamen sacra congreg. Episcop. concessit posse episcopum tenere vicarium non doctorem, alias tamen idoneum, præsertim dum episcopus jurista residet. Ead. sac. cong., in *Tragurien.* 15 Jun. 1590, et in *Orien. seu Oritana* 29 Mart. 1593.

(40. Item vicarii abbatum debent esse idonei doctores si jurisdictionem exercent extra monasterium. Sac. cong. Episcop. et Reg., in *Calaritana* 23 Dec. 1603. Vide *supra* n. 23.

(41. Vicarius generalis episcopi habet jurisdictionem ordinariam, et non delegatam. Sic colligitur ex cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6, et cap. *Romana* 3, § 1, *De appellat.* in 6, ac tenet expresse Glossa in cap. *Romana*, verb. *Generaliter*, et alia Glossa in cap. *Licet*, verb. *Officiale*, De officio vicarii in 6. Nicolius, in *Flosculis*, verb. *Vicarius generalis*, n. 45. Pellegrin., in *Praxi vicar.* part. I, sect. 2, subsect. 3, a n. 1 ad 6, ubi, pluribus adductis, id solide probat et solvit contraria. Statim enim ac ab episcopo constituitur, eo ipso a lege, seu canone jurisdictionem accipit, arg. cap. 2, De officio vicarii in 6. Et notat Barbosa, part. III, *De officio et potest. episcopi*, allegat. 54, n. 34. Sanchez, lib. III *De matrimonio*, disp. 29, n. 13. Fagnan., in cap.

Quod nobis, n. 41, *De clandestina desponsat.*, et alii plures. Vide verb. JURISDICTIO a n. 15 ad 17, ubi late de hac vicar. general. jurisdictione.

(42. Idem est tribunal, seu auditorium, eademque jurisdictio episcopi et vicarii sui generalis, textu expresso in cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6, ibi: «Cum sit idem auditorium utriusque,» et in cap. *Romana* 3, De appellationibus in 6, ibi: «Cum unum et idem consistorium, sive auditorium sit censendum.»

(43. Hinc a vicario generali regulariter non datur appellatio ad episcopum, textu expresso in cit. cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6, addita ratione: «Ne ab eodem ad seipsum (cum sit idem auditorium utriusque) appellatio interposita videatur;» et in c. cap. *Romana* 3, § 1, De appellationibus in 6, ibi: «Ne ab eisdem ad seipsum interponi videatur.» Unde a vicario generali episcopi appellatur, omisso episcopo, immediate ad archiepiscopum. Rota p. 13 rec. dec. 192, n. 5 et part. XIV, dec. 115, n. 210, et communis doctorum.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(44. Nonnunquam duo constitui solent vicarii generales æque principales. Dubitari propterea contingit, utri delegationes apostolicæ censeantur commissæ.

(45. Porro si agatur de rescripto gratioso, ille ex duobus vicariis erit delegatus apostolicus, cui ab impetrante fuerit illud præsentatum. (46. Rescriptum vero licet gratiosum uni vicario jam præsentatum hæc potest alteri vicario præsentari; Layman in c. 1, n. 7, *De offic. vicar.*; Leuren., *De vicar.*, cap. 1, § 2, q. 34, n. 2.

(47. Quod si res sit de rescripto contentioso consentientibus partibus, aut nil opponente eo, contra quem ipsum impetratum est, potest etiam quilibet eorum eligi; partibus vero dissentientibus adeundus est Papa, qui debet declarare, utrum eorum delegaverit; Barbosa, in c. *Quoniam*, num. 10, *De offic. delegat.*; Wiestner, in *Decret.* lib. 1, tit. 28, n. 27.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ possit, vel non, vicarius generalis.

Sequentibus num. evolvitur.

(1. Vicarius generalis, ad hoc ut suum munus plene et libere exercere possit, debet ab episcopo constitui in spiritualibus et temporalibus, nec sufficit, si constituatur in spiritualibus tantum, vel temporalibus, quia sub tali forma verborum non esset rigore vicarius generalis. Arg. cap. *Si episcopus* 3, et cap. *Ecclesiæ cathedrali* 4, De supplenda negligent. prælatorum in 6, ibi: «In spiritualibus et temporalibus;» Barbosa, part. III *De offic. et potest. episcopi*, allegat. 54, num. 57; Rebuffus, *Prax. Benefic.*, part. I, tit. De vicar. episc., num. 16, et in *Forma vicarii*; Sbroz, *De officio vicarii*, lib. I, q. 25, n. 1, cum seq.; Pavinus, *De offic. et potest. capituli sede vacante*, c. 2, q. 12, n. 6; Pellegrin. in *Praxi vicarior.*, part. I, sect. 1, subsect. 1, n. 1, et

alii contra alios. Et ratio est, quia Ecclesia habet et spiritualia, et temporalia, can. *Si quis* 1, q. 3, adeoque debent in forma vicariatus ambo exprimi, cap. *Licet* 2, De officio vicarii in 6, cap. *Romana* 1, De officio ordinarii in 6, cap. *Romana* 3, De appellationibus in 6, c. *Statutum* 6, et c. *Statuta* 2, De hæreticis in 6. Sic per hæc jura docet Pellegrin. *Prax. vicar.* part. I, sect. 2, subsect. 1, num. 1, cum aliis ibi citatis.

(2. In generali vicarii constitutione conceduntur tantum, quæ in generali mandato continentur, etiamsi adesset clausula: «Dantes, et concedentes ei plenam et liberam potestatem, arg. text. in leg. *Procurator cui*, ff. *De procuratoribus*, cum similibus; Barbosa, *loc. cit.* n. 59; Rebuff. *loc. cit.*, num. 36; Pellegrin., *loc. cit.* num. 3, et alii.

(3. Vicarius generalis vi officii sibi generaliter commissi ordinarie potest ea omnia, quæ episcopus; Rebuffus in *Praxi benefic. tit. Forma vicariatus*, n. 30 et seq.; Garcias *De benefic.* part. V, cap. 8, n. 65 et seq.; Pirrhing, lib. I *Decretal.*, tit. 25, n. 41; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 76, et alii plures; et ratio est, quia vicarius generalis constituit unum tribunal cum episcopo; cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6, ejusque personam repræsentat; cap. *Romana* 3, De appellationibus in 6, adeoque quod potest episcopus, censetur et ejus vicarius posse.

(4. Nisi tamen aliquid fuerit specialiter in jure exceptum, ut de se clare patet, et omnes fatentur; aut res sit ita gravis et ardua, ut eam episcopus non esset illi in specie verisimiliter concessurus, arg. cap. *Cum in generali* 3, De officio vicarii in 6, ibi: «Cum in generali concessione nequaquam illa veniant, quæ non esset quis verisimiliter concessurus,» et concordat cap. *In generali* 81, De regul. juris in 6, ibi: «In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus;» seu res sit talis, ut exigit speciale mandatum, arg. cap. *Qui generaliter* 5, De procuratoribus in 6, ibi: «Qui generaliter constituitur ob negotia procurator, agere ac experiri potest, exceptis iis casibus, qui mandatum exigunt speciale.»

(5. Vicarius generalis etiam sine speciali mandato potest confirmare electos, et instituere præsentatos ad juspatronatus, cap. *Ex frequentibus* 3, De institutionibus, Glossa, verb. *Non possunt* in cap. final. De officio vicar. in 6; Roch. *De jure patronat.*, verb. *Competens* q. 31, num. 66 et 67; Lambertin., eod. tract., part. III, lib. II, art. 5, q. 1 in princip.; Covarruv., lib. III *Variar.*, c. 20, num. 7; Gonzalez *ad Regul. Cancellar. glossa* 9, § a num. 78; Pellegrin., *loc. cit.* num. 4; Barbosa, cit.; allegat. 54, num. 70, cum Rota et sacra congr., *ibi cit.*, testans de communi doctorum contra Rolandum et Rebuffum.

(6. Vicarius generalis sine speciali mandato potest monitoria sub pœna excommunicationis ad finem revelationis pro rebus deperditis, seu subtractis concedere: sic pluries declarasse sac. cong. Conc. re-

tert Garcias, *De beneficiis*, part. V, cap. 8, num. 98; Pellegrin., *loc. cit.*, num. 9.

(7. Vicarius generalis, absente episcopo, processiones indicere et dirigere potest cum consensu capituli. Sacra cong. Conc. apud Barbos., in *Sum. Apostol. dec.*, verb. *Vicarius generalis episcopi quam habeat auctoritatem*, n. 2.

(8. Potest vicarius generalis cognoscere de causis mensæ episcopalis, et judicare, prout justum fuerit. Sac. congregat. Episcoporum., in *Lesinen.* 3 Octobr. 1586.

(9. Item potest exsequi commissiones et Litteras Apostolicas, quæ prius directæ fuerant vicario capitulari, non adhuc executæ. Sac. cong. Episc. in *Parmen.* 6 Aug. 1614.

(10. Item potest esse delegatus Papæ et executor Gratiarum Apostolicarum, qui est in dignitate constitutus. Clementin. *Etsi principalis* 2, De rescriptis.

(11. Item potest ex vi mandati generalis confessiones sacramentales audire, aliisque eas audiendi facultatem concedere. Barbosa, supra conc. *Trid.*, sess. XXIII *De reform.*, cap. 15, num. 25, cum Sanchez, Campanil., Narbona, Novar., Moneta, et aliis ibi citatis, Pellegrin., *loc. cit.*, num. 17; Ventrigl., *Prax. rerum notabilium*, t. II, adnotat. 25, § 1, num. 28; Merol., *Theol. moral.*, part. III, disput. 7, cap. 6, dub. 21, num. 176, qui testatur de magis communi et verissima sententia contra Barbosam, *De offic. et potest. episc.*, part. III, allegat. 54, num. 91, et alios apud ipsum tenentes vicarium episcopi non posse sine speciali mandato facultatem concedere aliis sacerdotibus audiendi confessiones sacramentales.

(12. Item potest ex proprio officio aoque speciali commissione interesse matrimonii, et aliis sacerdotibus assistendi licentiam concedere; vicarius enim generalis venit appellatione ordinarii: *Communis* cum Barbosa *De offic. et potest. episcopi*, part. II, alleg. 32, num. 127; Ventriglia, *loc. cit.*, num. 27.

(13. Et id potest vicarius generalis, etiamsi sit tantum clericus, et non sacerdos. Basilius Pontius, tract. *De sacram. matrimon.*, lib. V, cap. 11, num. 11; Barbosa, cit. alleg. 32, num. 120, et alii contra multos alios ibi citatos, et Pellegrin., *loc. cit.*, num. 27, et alios ab ipso allegatos. Et ratio nostra est, quia adversarii, ut notat Barbosa, *loc. cit.*, defendunt contrarium ex eo tantum fundamento, quod non sufficit in contrahendo matrimonio præsentia parochi, qui non sit sacerdos; hoc autem est falsum, cum sac. cong. Conc., in *Abulensi* 12 Mart. 1593, l. VII *Decretor.*, fol. 193, apud Monacell., tom. II, tit. 16, formul. 2, num. 34, et apud Pitton., *Constitut. ad parochos*, num. 160, expresse declaraverit, quod parochus valide et licite assistit matrimonio, etiamsi nondum sit sacerdos, adeoque, etc. Tum quia eadem sac. congreg. Conc. 4 Jul. 1602, lib. X *Deer.*, fol. 47, apud Monacell., *loc. cit.*, declaravit, quod matrimonium contrahi potest valide, non solum coram sacerdote habente facultatem a vicario generali, sed coram vicaria

generali et perinde ac coram paroco. Unde cum ex alio adducto decreto parochus valide et licite assistat matrimonio, etiamsi nondum sit sacerdos, id etiam dicendum venit de vicario generali nondum sacerdote.

(14. Licentia tamen assistendi matrimonio non potest ab ipso vicario generali, sicuti nec a paroco concedi alicui, qui non sit sacerdos. Arg. concil. *Trid.*, sess. xxiv. *De reform. matrimon.*, c. ubi expresse requirit, ut delegandus sit sacerdos, ibi: « Vel alio sacerdote. » Vide verb. MATRIMON. QUOAD IMPEDIMENTA, art. 1, num. 68.

(15. Vicarius generalis potest petere salarium ab episcopo, quod salarium non potest esse minus quinquaginta aureis pro quolibet anno. Sic declaravit sac. congr. Episc., in *Ventimilien.* 8 Martii 1606. Vel centenis monetæ. Ead. sac. congreg. Episc., in *Cajetana* 5 Februarii 1616, apud Nicolium, *loc. cit.*, num. 52, et Pellegrin., *loc. cit.*, num. 21.

(16. Non potest tamen loco salarii seu provisionis episcopus assignare vicario emolumenta cancellariæ, ut evitentur fraudes. Eadem. sac. congr. Episc., in *Senegallien.* 16 Octobris 1604, apud Nicol., *loc. cit.*, n. 52, et Pellegrin., *loc. cit.*, n. 21.

(17. Vicarius generalis potest petere a iudice laico auxilium brachii sæcularis in causis, in quibus potest episcopus, cap. 1, ubi canonistæ, *De offic. ordinarii*, cap. *Dilecto*, De sentent. excomm. in 6, conc. *Trid.*, sess. xxiv, cap. 8, sess. xv, *De regularibus* c. 5, et sess. xxv, *De reform.*, cap. 3; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 23, cum Gratian., Covarruv. et aliis passim.

(18. Vicarius generalis archiepiscopi, ipso archiepiscopo absente et a sua provincia distante, potest interveniente justa aliqua et gravi causa, episcopos suffraganeos suspendere, interdicere et excommunicare, textu claro in cap. *Romana Ecclesia* 1, § *Officiales autem*, De officio ordinari. in 6. Vide verb. ARCHIEPISCOPUS, art. 1, n. 20.

(19. Non potest vicarius generalis, etiamsi fuerit episcopus, ex generali commissione sine speciali mandato episcopi exercere ea, quæ sunt ordinis episcopalis, ut consecrare ecclesias et altaria, chrisma et oleum sanctum conficere, sacramentum confirmationis et ordinis conferre, calices consecrare, et alia huiusmodi. Rebuff., in *Praxi benefic.*, tit. *De vicario*, n. 33, et n. 168 cum seq., Sbroz, *De vicario episc.*, lib. II, quæst. 5, n. 10 et q. 6 cum seq.; Azorius, part. II, lib. III, cap. 43, q. 9 et cap. 46, vers. *Confirmationes*; Ugolinus, *De offic. et potest. episc.*, cap. 4, § 7, n. 2, vers. 8; Franciscus Leo, in *Thesaur. fori eccles.*, part. I, cap. 12; Barbosa, part. VII, *De offic. et potest. Episc.*, allegat. 54, n. 83, cum aliis ibi citatis; Pellegrin., *loc. cit.*, subsect. 2, a n. 1 ad 5, et alii passim.

(20. Item non potest sine speciali mandato synodum congregare. Glossa, in cap. *Tuanos*, verb. *Vicarii*, De officio vicarii, et in cap. *Quod ad translationem*, verb. *Item congregatio*, De officio legati; Pellegrin., *loc.*

cit., n. 47; Rebuff., in *Praxi benefic.*, De forma vicarii, n. 151; Sbroz, lib. II, quæst. 46, n. 1; Barbosa, cit. allegat. 54, n. 103, cum aliis ibi citatis, et super *Trid.* sess. xxiv, *De reform.*, cap. 2, n. 21, cum aliis ibi allegatis, insuper refert ex Sello sic fuisse resolutum a sac. congregat. Concilii 11 August. 1618. Quamvis enim ipse in *Summ. Apostolic.*, verb. *Vicarius generalis*, collectan. 715, n. 3, dictam sacræ congreg. decisionem referat in contrarium, nihilominus ut recte notat ex aliis Ventriglia, tom. II, adnotat. 14, § 1, n. 37, ipsa sacræ congreg. decisio cantat pro nostra opinione, quod nempe vicarius generalis absque speciali mandato non possit synodum congregare, et fortasse Barbosa in dicta summa inadvertenter omisit dictionem non.

(21. Item non potest suo arbitrio constitutiones synodales mutare. Sac. congr. Ait. 25 Febr. 1606.

(22. Item non potest sine speciali mandato diocesim visitare, quia visitatio videtur episcopis tantum reservata, qui per se ipsos visitare tenentur singulis annis, et ipsis legitime impeditis, per suos vicarios, can. *Decernimus* 10, caus. 10, q. 1, can. episc. 11, ead. caus. et quæst., c. *Inter cætera*, De offic. ordinarii, cap. *Si episcop.* 6, eod. in 6; concil. *Trident.*, sess. VII, *De reform.*, cap. 8, et sess. xxiv, *De reformat.*, c. 3; Rebuff., *loc. cit.*, n. 100; Sbroz, lib. II, q. 120, n. 2; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 46; Barbosa, cit. allegat. 54, n. 102, et alii passim.

(23. Item non potest sine speciali mandato exigere cathedraicum seu synodaticum, quod episcopis debetur ratione subjectionis. Sbroz, lib. II, q. 33, n. 6; Barbosa, cit. alleg. 54, n. 123; Pelleg., *loc. cit.*, n. 40, et alii.

(24. Item nequit sine speciali mandato imponere et exigere charitativum subsidium. Barbosa, cit. alleg. 64, n. 122; Belencin., in tract. *De charitativo subsidio*, q. 11 per tot.; Azorius, *Instit. moral.*, part. I, lib. IX, t. XIV, q. 5, vers. *Vicarius*; Sbroz, lib. II, q. 45, num. 6; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 48, et alii.

(25. Item sine speciali mandato nequit se intromittere in causis criminalibus, quæ enumerantur inter negotia ardua, cum in eis tractetur de vita hominis et de poena graviter infligenda, arg. c. *Veniens* 15, et c. *Qualiter* 24, De accusationibus. Unde pro ipsis causis debet habere speciale commissionem, textu expresso in c. *Licet*, De offic. vicarii in 6, ibi: « Potestatem tamen inquirendi, corrigendi aut puniendi aliquorum excessus seu aliquos a suis beneficiis, officiis, vel administrationibus amovendi, transferri nolumus in eundem, nisi sibi specialiter hæc committantur. »

(26. Item sine speciali commissione nequit beneficia conferre; cap. ult. *De offic. vicarii* in 6, et Communis doctorum cum Barbosa, cit. alleg. 54, n. 6; Pellegrin., *l. c.*, n. 8, et alii. Neque potest sine speciali mandato resignationes et permutationes

beneficiorum admittere et approbare, cap. *Quæsitum*, De rer. permut.; Barbosa, *l. c.*, n. 66, cum pluribus ibi allegatis; Pellegrin., *l. c.*, n. 14; Ventriglia, *l. c.*, n. 9, et alii passim.

(27. Imo etiamsi vicarius habeat speciale mandatum ad recipiendas resignationes beneficiorum, adhuc non potest conferre beneficia coram ipso resignata sine speciali mandato ad conferendum. Rota, dec. 5, alias 487, n. 2 et 3, in novis, quam affert Sbroz, lib. II, q. 71, n. 9; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 14; Rebuff., *loc. cit.*, n. 104 et 106; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 10, cum aliis ibi allegatis; Barbosa, cit. alleg. 54, n. 67 et alii.

(28. Neque potest sine speciali mandato beneficia unire, neque uniones revocare, aut Ecclesias dividere. Lotter., in tract. *De re beneficiaria*, lib. I, q. 28, a n. 118; Garcias, *De benefic.*, part. XIV, c. 2, n. 69; Sbroz, lib. I, q. 115; Barbos., cit. alleg. 54, n. 72; Ventrigl., *loc. cit.*, n. 12; Pellegr., *loc. cit.*, n. 15.

(29. Neque potest absque speciali mandato beneficia erigere, aut jurispatronatus fundationi consensum præstare. Barbos., *loc. cit.*, n. 71; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 17 et 22; Riccius, in *Dec. cur. archiepisc. Neapolit.*, part. I, dec. 140, et alii.

(30. Item neque potest absque speciali mandato beneficia suppressere. Barbosa, *loc. cit.*, n. 71; Sbroz, lib. II, q. 17, n. 5; Moneta, *De commutat. ult. volunt.* cap. 12, n. 129 cum seq.; Pelleg., *loc. cit.*, n. 16, et alii.

(31. Neque potest absque speciali commissione juspatronatus reservare alicui ex causa donationis, fundationis vel constructionis. Garcias, *De benefic.*, part. V, c. 9, n. 43; Vivian., in *Praxi jurispatronat.*, part. I, lib. I, n. 24, in prima edition., alias lib. II, c. 1, n. 19; Sbroz, lib. II, q. 31, n. 4, Gratian., *Discept. forens.*, c. 303, n. 12; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 19; Barbosa, *l. c.*, n. 74, adducens ultra alios doctores etiam ad id plures Rotæ decisiones.

(32. Neque sine speciali mandato donationi jurispatronatus decretum interponere, vel auctoritatem seu assensum præstare valet, quia hoc est de jurisdictione gratuita et non necessaria, ut in cap. *unic.*, *De jure patronat.* in 6; Riccius, in *Praxi aurea*, resol. 469; Zerola, in *Praxi episcop.*, verb. *Vicarius*, § 11 et 13; Pelleg., *l. c.*, n. 20; Barbos., *l. c.*, n. 75, cum pluribus ibi allegatis, adducens insuper ad id varias Rotæ decisiones.

(33. Neque sine speciali commissione præsentare potest ad beneficium jurispatronatus ad episcopi præsentationem pertinet. Lambertin., *De jurepatron.*, part. III, lib. II, q. 110, n. 2; Sbroz, lib. II, q. 110, n. 2; Garcias, *De benefic.*, part. V, cap. 8, n. 82; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 21; Barbosa, *loc. cit.*, n. 82, et alii apud ipsos.

(34. Neque novas parochias erigere, nec alia beneficia creare, in creatione novæ dignitatis auctoritatem præstare; can. *Nemo*,

ubi Glossa, verb. *Veniat per se vel per alium*, dist. 1, De consecrat.; Rota, in *Segobien. Capellanæ* 28 April. 1625, coram Ubaldio; Garcias, *De benefic.*, part. V, cap. 9, n. 65; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 22; Barbosa, *loc. cit.*, n. 76, cum aliis ibi allegatis.

(35. Neque potest sine speciali mandato imponere pensionem super beneficiis, ubi episcopus ob aliquam justam causam, ver. gr. pro bono pacis et concordia posset. Sbroz, lib. II, q. 71, n. 14; Moneta, *De commut. ult. voluntat.*, cap. 5, n. 496; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 24; Barbosa, *loc. cit.*, n. 77; Ventrigl., *loc. cit.*, n. 13 et alii.

(36. Neque potest absque speciali commissione coadjutorem vicarium rectori imperito deputare secundum formam. Sac. cong. *Trident.*, sess. XXII, *De reformat.*, cap. 6; Sbroz, *De offic. vicarii*, lib. II, q. 112, a n. 2; Puteus, decis. 239, n. 2; Ventriglia, *l. c.*, n. 13; Barbosa, *l. c.*, n. 73, et alii.

(37. Neque absque speciali concessione potest œconomum Ecclesiæ constituere. Sbroz, lib. III, q. 53, n. 2; Felin., in cap. *Quoniam* in fine, *De offic. ordinarii*; Barbosa, *l. c.*, n. 78; Pelleg., *l. c.*, n. 25; Ventriglia, *l. c.*, n. 13, et alii.

(38. Neque potest absque commissione aliquem ab ordine deponere aut amovere a suo beneficio, officio vel administratione, textu expresso in cap. *Licet*, De offic. vicar. in 6. Vide verba adducta supra n. 15; Barbosa, *l. c.*, n. 13; Pelleg., *l. c.*, n. 25, et ipso teste alii communiter.

(39. Neque sine speciali mandato potest clericum exsilio condemnare aut ab exsilio revocare. Abbas, in c. 1, n. 3, De calumni., et in c. *Cum non ab homine* n. 4, De judiciis; Sbroz, lib. II, q. 155, n. 2 et q. 156, n. 4; Barbosa, *l. c.*, n. 79; Pellegrin., *l. c.*, n. 26, et alii apud ipsos.

(40. Neque potest sine speciali concessione ecclesias dirutas et vetustate collapsas, quæ ob illarum et parochianorum inopiam nequeunt restaurari, in matrices erigere, vel in alias viciniore ecclesias transferre. Franciscus Leo, in *Thesaur. fori ecclesiast.*, part. II, cap. 16; Barbosa, *l. c.*, n. 81; Sbroz, lib. II, q. 117, n. 5; Pellegrin., *l. c.*, n. 27, et alii.

(41. Neque sine speciali mandato potest mutare statum alicujus Ecclesiæ etiam in casibus, in quibus potest episcopus. Moneta, *De commut. ult. volunt.*, c. 11, n. 358 et 360; Barb., *l. c.*, num. 81; Pelleg., *l. c.*, n. 28, et alii.

(42. Neque sine speciali mandato alienare potest res Ecclesiæ, aut in alienationibus seu transactionibus earundem rerum decretum interponere. Sbroz, lib. II, q. 118, n. 2; Pelleg., *l. c.*, n. 29 et 53; Barbosa, *l. c.*, n. 105, et alii plures apud ipsos.

(43. Neque sine speciali commissione potest concedere licentiam ædificandi nova monasteria et conventus in loco suæ diocesis, ex eo quia est de majoribus. Sac. cong. Conc. 11 Jul. 1620, apud Barbosam,

in *Summa Apostol. decis.*, collectan. 715, n. 10.

(44. Neque potest, quando celebrat, habere duos capellanos sive clericos, qui illi cum cottis inserviant. Sac. cong. Rit. 7 Aug. 1627.

(45. Neque in altari quatuor candelas accensas tenere, nisi hoc fieret in illo altari propter solemnitatem diei festi. Ead. sac. Rit. cong. 7 Augusti 1627.

(46. Neque potest facere circulum in missa solemniter ante episcopum cum canonicis ad *Gloria, Credo, et Sanctus*, etc., Sac. cong. Rit., in *Macerat.*, 28 Sept. 1530 apud Pellegrin. l. c., n. 10.

(47. Neque potest baldachinum erigere, absente episcopo, in ecclesiis exemptis invitis monachis. Sac. Rit. cong. in *causa congregationis Casinensis* 10 Jul. 1621, apud Pellegrin., l. c., sub n. 11.

(48. Neque potest, absente vel impedito episcopo, facere functiones episcopales, sed spectat facere ad primam dignitatem capituli, et successive ad alios. Sac. Rit. cong., in *Algaren. et Brundusina* 20 Dec. 1661 et in *alia Brundusina* 5 Feb. 1614, et in *Alatrina* 22 Januar. 1618.

(49. Neque potest sumere paramenta de altari, quia hoc facere solis episcopis permittitur. Eadem sacra Rituum cong. 7 Jul. 1612, apud Pellegrin., loc. cit., n. 11. Nisi propter necessitatem ob loci angustiam id faciat; uti alii sacerdotes in simili casu faciunt, et tunc ipsa paramenta, non in medio altari, sed in cornu evangelii sumere debet, ut declaravit eadem sac. Rituum cong. d. die 7 Jul. 1612.

(50. Neque potest uti vicarius generalis missas conventuales aut pontificales celebrare, nec SS. sacramentum, aut sacras reliquias paratus deferre, nec aliis se immiscere functionibus ecclesiasticis, sed tantum præesse, ut omnia suo ordine fiant. Sac. cong. Episcop. 19 Sept. 1627, apud Barbosam in *Summa, loc. cit.*, n. 12.

(51. Neque potest vicarius uti annuo, tempore quo celebrat, licet sit protonotarius Apostolicus non participans. Sac. Rit. cong. 11 Feb. 1623, apud Gavant. in *Manual. episcop.* verb. *Missæ ritus*, n. 12; et Pellegrin., loc. cit., n. 12. et multo minus, si sit canonicus cathedralis. Ead. sac. Rit. cong. 29 Nov. 1629, apud Gavant., loc. cit., n. 13, et Pellegrin. loc. cit., n. 12, sed vide verb. *Anulus* n. 8, ubi ex posteriori decreto Sac. Rit. cong. 4 Aug. 1663, dicitur, quod possunt canonici cathedralis missam celebrare eum annulo aureo et de rigore uti, sed sine gemma et sine aliqua effigie.

(52. Nec potest prohibere canonicis, ne officium inchoetur, donec ipse veniat, quia statim dato signo est inchoandum. Sac. Rit. cong. 25 Febr. 1606.

(53. Neque prætere, ut ipsi missam solemnem cantanti assistant canonici, et faciant circulum ante ipsum. Sac. Rit. cong. 8 Mart. 1595.

(54. Neque potest dare benedictionem diacono, antequam cantet Evangelium, ne-

que benedicere prædicatori, antequam pulpitum ascendat. Sac. congreg. Rit., in *Pacem*. 17 Martii 1607, apud Pellegrin., l. cit., sub. n. 13, et Barbosam, in *Summa, loc. cit.*, n. 9.

(55. Neque potest impedire, quod parochi denuntiationes faciant absque sua licentia. Sac. congreg. Concil. 27 Martii 1617, apud Barbosam, loc. cit., n. 11.

(56. Neque potest intervenire capitulo, si sit exemptum. Sac. cong. Concilii, apud Barbosam, loc. cit., n. 13. Vel si nolint canonici. Eadem sac. cong. Concil., in *Amerien.* 24 Aprilis 1632.

(57. Imo neque absente episcopo, potest in capitulo intervenire. Eadem sac. cong. Concilii apud Barbosam, loc. cit., n. 13.

(58. Et si sit de capitulo, debet inde exire, ubi tractandum fuerit de rebus ad suum, vel episcopi commodum pertinentibus. Sac. cong. episcop. et regul. 17 Jun. 1584, apud Barbosam, loc. cit., n. 15.

(59. Neque potest concedere licentiam alteri episcopo exercendi pontificalia in sua diocesi, nisi habeat ad id speciale mandatum. Sac. cong. Concilii apud Barbosam, loc. cit., n. 16.

(60. Neque potest sine speciali commissione remittere denuntiationes matrimoniales. Sac. cong. Concilii, apud Barbosam, loc. cit., n. 19. Contrarium tamen cum pluribus defendit Ventriglia, l. c., n. 26, asserens quod verior, et magis communis opinio sit, quod id possit sine speciali mandato, et sic cum aliis etiam Pellegrin., loc. cit., n. 38, et alii plures.

(61. Neque pro matrimonialium dispensatione potest quidquam quamvis minimum, et sponte datum recipere. Sac. cong. Episcop. et Regul., in *Surrentina* 22 April. 1616, apud Barbosam, loc. cit., n. 17, et Taxa Innocentiana, § *Nelle cause e materie*.

(62. Neque de jure potest sine speciali mandato indulgentias concedere; arg. cap. *Antecedentibus* 12, De excessibus prælat. et ibi, Fagnan., n. 17, cum pluribus aliis, card. Petra, tom. III *Comment. ad Const. 16 Alexandri IV*, n. 26. Barbosa, loc. c., n. 90, cum pluribus ibi allegatis. Vide verb. *INDULGENTIA*, art. 2, n. 29.

(63. Neque potest sine speciali commissione interdicta relaxare, sive ab homine, sive a jure sint, Barbosa, cit. alleg. 54, num. 96; Sbroz, lib. II, q. 185, n. 2, cum seq.; Pellegrin., loc. cit., n. 39, et alii.

(64. Neque potest sine speciali mandato dimissorias, seu commendatitias litteras pro recipiendis ordinibus subditis concedere, nisi episcopo ita absente et in remotis agente, ut non nisi post longum tempus adventus ejus speretur; c. *Cum nullus*, vers. *Officialis*, et § *Episcopo*, ubi Glossa verb. *In remotis*, De tempor. ordinat. in 6, Pellegrin., loc. citato, n. 44. Ventriglia, loc. cit., n. 32; Barbosa, part. II *De offic. et potest. episc.* alleg. 7, n. 9, et cit. alleg. 54, n.

97. et *De jur. eccles. univers.*, lib. I, c. 15, n. 21, et plures alii apud ipsos.

(65. Neque potest sine speciali commissione alium vicarium substituere. Imo et cum speciali facultate substituendi, nec potest substituere, nisi concurrente legitima causa, et ad modicum tempus, cap. *Clericos*, De officio vicarii, Glossa, in c. *Romana* 1, verb. *Ipsius*, De officio vicarii in 6, Pellegrin., loc. cit., n. 45; Ventriglia, loc. c., n. 39; Barbosa, cit. alleg. 54; n. 9 et 10, cum Rota, et aliis plurimis ibi citatis.

(66. Neque potest sine speciali commissione absolvere a casibus episcopo reservatis, cum id non veniat in generali commissione: cap. *penultim.* *De penitent. et remissionibus* in 6; Pellegrin., loc. cit., n. 43, Ventriglia, loc. cit., n. 30; Sbroz, lib. II, q. 19, n. 5; Barbosa, cit. alleg. 54, n. 116, et alii apud ipsos notantes, quod quando datur hæc potestas, concedi solet, ut et alteri delegari possit.

(67. Neque potest sine particulari commissione dispensare in irregularitatibus, et absolvere a suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, ac ab aliis casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis, sicut potest episcopus in vim concilii Trid. sess. xxiv, *De reform.*, cap. 6, quia concilium hanc facultatem non tribuit vicario generali, nisi specialem commissionem ad hoc habenti, ibi: « Per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum; » Pellegrin., loc. cit., n. 41; Ventriglia, loc. cit., n. 29; Rebuff., in *Praxi benefic. De forma vicarii*, n. 179, cum seq.; Ugolin., *De potestate episcop.* cap. 3, § 7, n. 2, vers. *Postremo*; Suarez, *De censuris*, disp. 51, sect. 2, n. 8; Barbosa, *Juris ecclesiastic. univers.* lib. I, cap. 13, n. 24, et *De offic. et potest. episcop.* part. II, allegat. 39, n. 10; Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 82, n. 85, et alii apud ipsos.

(68. Neque sine speciali mandato potest absolvere ab excommunicatione canonis: *Si quis suadente diabolo* 17, q. 4, in casibus episcopo permissis, de quibus in cap. *De cætero* 11, et c. *Ea noscitur* 18, De sent. excomm., et cap. *His quibus* 20, De Officio ordinarii, ubi doctores communiter teste Pellegrin., loc. cit., n. 42.

(69. Neque sine speciali mandato cognoscere potest de crimine hæresis. Decian., *Tract. criminal.*, tom. I, lib. v, cap. 21, n. 7; Sbroz, lib. II, pag. 161, n. 4 et 5, Covarruv., lib. III *Variar. resol.*, cap. 20, n. 3, Barbosa, cit. alleg. 54, n. 85; Pellegrin., loc. cit., n. 30.

(70. Imo neque de licentia episcopi potest absolvere subditos in foro conscientie a crimine hæresis, quia hoc competit solis episcopis vigore concessionis concilii Trid., sess. xxiv, *De reform.*, cap. 6, ibi: « Eis tantum, non eorum vicariis sit permissum. » Cuccus, *Instit. jur. canon. de episcop.*, n. 191. Sbroz, lib. II, q. 20; Barbos., loc. cit., n. 86; Pellegrin. loc. cit., n. 30, et alii.

(71. Neque voluntatem puellæ habitum regularem suscipere aut professionis votum emittere volentis explorare potest, ut expe-

riatur an coacta, an seducta sit, et an sciat quid agat, et cætera juxta dispositionem concilii Trid., sess. xxv *De regularibus*, cap. 17, nisi ad hæc specialiter sit deputatus, vel episcopus sit absens, aut legitime impeditus. Sbroz, lib. II, q. 200; Barbosa, loc. cit., n. 8; Pellegrin., loc. cit., n. 32, et alii.

(72. Neque potest causas restitutionis in integrum cognoscere, seu de eis disceptare, nisi ei specialiter committatur. Ita per text. in l. *Illud* 25, § 1, ff. *De minoribus* tenent Sbroz, l. II, q. 35, n. 5; Sanchez, *De matr.*, l. II, disp. 40, n. 12 in fine; Barbosa, loc. cit., n. 103; Ventriglia, loc. cit., n. 40; Pellegrin., loc. cit., n. 56, et alii.

(73. Neque sine speciali mandato deferre potest juramentum purgationis canonicæ. Speculator, *De jurisdic. omnium judicium*, vers. *Secundum canones*; Bertachin. *De episcop.*, tit. *De vicar. episc.*, n. 12 in fine; Barbos., loc. cit., n. 109; Sbroz, lib. II, q. 167, n. 2; Pelleg., loc. cit., n. 57; Ventriglia, loc. cit., n. 40, et alii.

(74. Neque consentire potest, ut metropolitani, sive alii cognoscat causas clericorum in prima instantia, omisso medio appellationis. Barbosa, loc. cit., n. 110; Ventriglia, loc. cit., n. 40; Pelleg., loc. cit., n. 59; Ferrett., cons. 307, n. 1; Sbroz., lib. II, q. 204.

(75. Neque cognoscere potest de causa delegata episcopo, nisi in rescripto addita sint verba: *Sive ejus generali vicario*. Barbosa, loc. cit., n. 111; Zerola in *Praxi episcop.*, part. I, verb. *Vicarius*, § 21, dub. 5; Campanil. in *Divers. jur. canonic.*, rubric. 1, cap. 23, n. 148; Pellegrin., loc. cit., n. 60; Ventriglia, loc. cit., n. 41, et alii.

(76. Neque sine speciali mandato causas feudales cognoscere, et tractare potest. Card., in *Clement.* 1, n. 19, De officio vicarii; Sbroz, lib. II, q. 125, n. 4; Barbosa, loc. cit., n. 112; Ventriglia, loc. cit., n. 40; Pellegrin., loc. cit., n. 62, et alii.

(77. Neque sine speciali mandato potest auctorare exemplum ex originali sumptum, ut eandem vim et auctoritatem cum originali habeat, cap. final. *De fide instrumentor.*, ibi: « Coram ordinario iudice vel delegato ab eo specialiter præsententur; » per quem text. ita ibi tenent Goffred. et Hostiens. Decian. resp. 24, num. 44, volum. 1; Barbosa, loc. cit., num. 113; Ventriglia, loc. cit., n. 40; Pellegrin., loc. cit., n. 63, et alii.

(78. Neque sine speciali commissione represalias concedere potest. Barbosa, loc. cit., n. 114; Ventriglia, loc. cit., num. 40; Pellegrin., loc. cit., n. 16; Sbroz, lib. II, q. n. 1, et alii.

(79. Neque sine speciali mandato bona clericorum confiscare potest. Baldus, in l. *Imperatores* in fine, ff. *De officio præfecti vigillum*; Sbroz, lib. II, q. 158, n. 3; Ventriglia, loc. cit., n. 40; Pelleg., loc. cit., num. 66, et alii.

(80. Neque sine speciali commissione penas corporales in pecuniarias convertere potest. Cap. *Licet*; ubi Glossa, et DD. D